
LAUDATIO
IN FUNERE
CLEMENTIS XIII.
PONTIFICIS MAXIMI
HABITA IN ÆDE S. MARCI
CORAM
SERENISSIMO PRINCIPE
A NATALI LASTESIO
XII. CAL. MART. AN. MDCCLXIX.



VENETIIS.
EX TYPOGRAPHIA DUCALI
APUD FRATRES PINELLI.

L A V D A T I O.

VEſter hic luctus, SERENISSIME PRINCEPS, P. C. Sapientiſſimi, atque hoc funus Veſtro Civi CLEMENTI XIII. Romano Pontifici in Æde Regia magnifice inſtructum, ſicuti præter conſuetudinem indictum fuit ex Senatusconſulto, ita mihi videtur inuſitatum quemdam ac ſingularem Senatus mœrorem non huic modo Urbi, ſed univerſæ Italiæ teſtari. Cum enim trepidi nuncii nuper attulerint e vivis repente ereptum in magnis rerum momentis Sanctiſſimum Senem, quem uti ſatis firma valetudine paullo ante audiveramus; non potuit Patriæ amor nec opinata jactura, atque humanorum caſuum cogitatione non magnopere commoveri. Atque ego quidem neſcio qua fatorum conſenſione utrumque video accidiſſe, ut & illa decem ante annos lætitia incredibilis, cum Veſtrum Civem Pontificem Maximum renunciatum, & hæc ad extremum mœſtitia, cum amiſſum accepiſtis, præter exſpectationem vos perculerit. Itaque non minus illa tum gratulatio apparatiſſimis in foro ſpectaculis & ad has ipſas Aras ſupplicatio,

quam

quam hic magnificentiſſimi nunc Funeris apparatus, & hæc Sacra piacularia Veneti Senatus in CLEMENTEM XIII. Pontificem Optimum Maximum ſtudium, fidem, pietatem denunciant, atque adeo immortalitati commendant. Nihil hic ex more atque inſtituto, nihil ad ſpeciem atque oſtentationem; ſed omnia ex animi ſenſu, ad doloris veritatem atque honoris; cum adſit mutata veſte Sanctiſſimi Patrui parentalibus LUDOVICUS Eques hujus Templi Procurator, adſint religionis cauſſa Patriarcha Præſuleſque ornatiſſimi, quos omnes æquum eſt acerbiſſimum interitum dolere: cum denique ſit is accitus orator, non qui diſertiſſime, ſed qui veriſſime pro Funere laudaret. Quare etſi hinc Principis Majeſtas, hinc Pontificis terret animum, tamen queri jam omittam tempus æque mihi atque ingenium ad tantum munus defuiſſe; cum intelligam, in publico hoc luctu, in hac loci reique ſacræ ſanctitate aptiorem eam fore orationem, quam non ars eloquentiæ atque aſſentationis elaborarit, ſed vis quædam veræ laudis admiratioque virtutis effuderit.

AC videte, quæſo, quantum a magnificentiæ ſtudio abſit oratio mea; cum ſplendida multa & gravia, quæ nos, quæ univerſæ cauſſam Religionis minus attingunt, conſulto prætermittam, ac Romanis Oratoribus, ad quos maxime pertinent, ultro relin-

relinquam. Qui enim inter Præſules vir primum fuerit CLEMENS XIII. qua humanitate ac prudentia in urbibus regendis, Reate ac Fanum Fortunæ, me tacente, eloquentur: neque aut ejus conſilium Tribunal illud Conſultorum in Urbe, aut Veneti Auditoris in jure dicundo aciem mentis atque æquitatem Rota ſiluerit. Quamquam monumenta illius graviſſimi muneris, donum optimi Civis ac Pontificis, nobis ipſis D. Marci Bibliotheca diu oſtentaverit. At Roma laudandi provinciam jure ſuo ſibi vindicet, qua Trebiæ Fontem, qua donatum Centauris Capitolium, qua inſtaurata atque exornata ædificia, qua horrea ad Urbis uſus exſtructa. Illa vero magnificentius etiam prædicet; defoſſum portum ad Oſtia Tiberina, exſtructiones exponendis de navi mercibus ad Centum Cellas, expeditas triremes in piratas, munitam oram maritimam, emendatam commerciorum rationem, noviſque legibus conſtitutam. Jam cum alia geſta ſint hoc Pontifice ejus auſpiciis, quod in omnibus fieri imperiis neceſſe eſt, alia ejus conſiliis perfecta; genus alterum laudum, quod variis, ut ſunt humana pleraque, opinionum quaſi ventis jactari ſolet, prorſus omittam: alterum, quod Summi Sacerdotii vim ac naturam continet, in quo nihil fuit prope humani, nihil obnoxium fortunæ, nihil, in quo alii partem ullam decerperent, oratione percurram.

Ac

Ac mihi quidem verſari videtur ante oculos delapſa Cælo Religio, quæ monet, divini hominis Sacerdotium non ad humanæ prudentiæ documenta exigendum, ſed ad rationem ſanctiſſimi muneris, & ad optima quæque exempla veteris diſciplinæ. Nimirum hoc unum animo alte defixerat CAROLUS Cardinalis REZONICUS, cum Benedicti XIV. ſapientiſſimo judicio Eccleſiam Patavinam adminiſtrandam ſuſcepiſſet, quam ſacra tradita ſuæ fidei eſſet Religionis cuſtodia, quæ gregis paſcendi cura, quid voce præſtandum, quid exemplo, quid conſilio, quid auxilio. Quid aliud cogitavit, quid egit, cum Diœceſin perluſtraret, cum minoribus Sacerdotiis probatiſſimum quemque præficeret, cum Seminarii ſtudia diſciplinamque foveret, cum ægrotis, ſenibus, puellis egentiſſimis alendis non modo Eccleſiæ patrimonium, ſed etiam domeſticum profunderet; quid, inquam, egit aliud, quid cogitavit, niſi ut ſanctiſſimorum Præſulum Borromæi ac Barbadici veſtigiis inſiſteret? Quid cum his veluti gradibus in Vaticanum, in illam quaſi ſpeculam totius Chriſtiani orbis aſcendiſſet, num aliis vitæ inſtitutis, aliis moribus, aliis conſiliis in ſumma religione tuenda ſibi utendum exiſtimaret? Terrebatur ille quidem, qua erat modeſtia, tanti muneris rerumque tantarum magnitudine, ut, quod ſanctiſſimos viros feciſſe accepimus, diu etiam repugnarit; at eo demum retulit animum, ut

intel-

intelligeret, cum Petro atque Apoſtolis tradita divinitus Eccleſia fuerit, in illa communione poteſtatis curarumque ſocietate, ſe, qui Petri in locum veniret, ut dignitate inter ceteros, ita vigilantia, ſollicitudine, virtutum ſplendore præſtare oportere. Itaque hoc ille animo ſummi onus Sacerdotii ſubeundum ſuſtinendumque judicavit, ut eadem illa ingenii manſuetudo, illa ſtudia pietatis, illa divinarum rerum tutela, illa denique Paſtoris vigilantiſſimi virtus, quæ ſe Patavinis finibus continuerat, in omnes Chriſtianæ Reipublicæ provincias quam latiſſime pateret. Jam cum cæleſtis ædificii partes omnes ſedulo exploraret, ſui hoc muneris duxit ſuique conſilii, ut illud firmiſſimis columnis, ne qua ſenſim corrueret, identidem fulciret. Intuemini quos viros, qua probitate ac ſapientia in Sacrum Cardinalium Collegium divino certe numine afflatus toties cooptarit. Magnæ mehercule opus fidei, acerrimique judicii rimari ingenium moreſque ſingulorum, optimum quemque animo deſignare, æque ſibi cavere ab obtrectatione & a gratia, denique Apoſtolici Senatus Optimates ita deligere, ut & ſuus honos Regibus, & ſua meritis præmia ſint, & Religionis præſertim ratio habeatur. Hos enim adhiberi in conſilium, præfici graviſſimis Collegiis, dimitti Legatos in provincias, præeſſe ſummæ rerum in Urbe; denique ex eo numero (quod utinam Superi matu-

maturent) Romanum Pontificem creari. Quis igitur Clementis ſententia ea purpura ornatus non magna innocentiæ laude, ingenii, conſilii, atque adeo majoribus auſpiciis in ampliſſima illa ac ſanctiſſima Vaticani Comitia jam nunc pedem inferet? Jam vero deſignandorum ſubinde per Europam Epiſcoporum difficilis ac magna ratio, quibus eaſdem oves paſcendas ducendaſque a Spiritu Sancto traditas intelligeret, quantum curæ & cogitationis afferebat! Quis ad procurationem Sacrorum, cæleſtis doctrinæ inſtitutionem, ac pauperum in Eccleſiis tutelam hujus voce & auctoritate dimiſſus, qui præclaram illam non referret Epiſcopi imaginem, quam Paulus in ſuis Epiſtolis propoſuiſſet? Itaque in ſumma divinarum rerum adminiſtratione nihil illi unquam fuit Epiſcoporum fide ſanctius, nihil præſtantius dignitate, nihil benevolentia atque amore conjunctius. Hoc enim de iis ſentiebat, quod Magnus Gregorius, eſſe hos fratrum ſibi loco, commune ab his Sacerdotium, commune pauperum patrimonium quadam juris æquabilitate adminiſtrari. Horum qui mores ac virtutes obnoxias fragilitati communis naturæ tanto ſtudio proſequeretur, quo tandem animo fuiſſe credimus in eorum virorum ſanctitatem, quos vita functos in cælitum numerum referendos judicaret? quod ipſum ad munus Pontificis, ad bonorum exemplum, ad decus Religionis pertineret. Igitur Roma vidit aliis alios

datos

datos provinciis, quo quemque honoris titulo ſua virtus Aris impoſuit: at cum Hieronymum Æmilianum ingenti hujus Urbis lætitia Sanctorum Faſtis adſcripſit, cum Gregorium Barbadicum, Petrum Acotantum, Joannem Marinonium Beatorum colendos ritu pronunciavit, quod officium pietatis optimus & Civis & Pontifex optimis illis Civibus, atque adeo Patriæ perſolvit? Ecquid videor, SERENISSIME PRINCEPS, in CLEMENTIS laudibus percurrendis, a Pontificis munere, quod illi ſemper, quod mihi hoc loco ac tempore propoſitum fuit, uſquam diſcedere? Quid ille ardor animi, quo cavit ſollicitus Paſtor, ne quid forte veneni oves innocuæ impuris e fontibus haurirent? Quot identidem libros, ſeu potius ſordes ac peſtes, in hac præſertim tam audaci, tam impia philoſophandi licentia, quæ impune graſſatur, Diris omnibus devovit! ut ne iis quidem parceret, qui traditi per manus religionis ſpecie extra aleam poſiti viderentur. Ac ne ſingula perſequar, quid de incredibili ſaltem dicam piiſſimi Pontificis caritate, cujus veluti vinculo cum ceteros inter ſe colligari neceſſe ſit, quanto eſt æquius communem omnium Parentem cum ceteris conjungi? Hanc hauſit, mihi credite, ab adoleſcentia e nobiliſſimæ Familiæ inſtitutis ac diſciplina, hanc aluit quotidianis Venetorum exemplis: hæc tradita a CLEMENTE XII. ad illum detulit Cardinalis inſignia, hæc Patavio

Anti-

Antiſtitem dedit, hæc Romæ Pontificem, hæc ſublatum, ut ita dicam, pauperum humeris cælo nuper inſeruit. Quis ignorat amplificata Romæ Hoſpitalia, parata pupillis, viduis, ægrotis miſeriarum levamenta, ſtipem in dies erogatam inopi multitudini, ſubmiſſa etiam Patavium quotannis pauperibus alendis ſubſidia? Quid cum annonæ inopia, quæ cæli inclementia agrorumque ſterilitate totam ferme Italiam metu concuſſerat, durius Urbem premeret, ac miſeram diu famem & vaſtitatem minaretur? Cujus ſpectaculi fuit, cum dimiſſis hac illac magna auri copia rei frumentariæ curatoribus, frumentum undique Tiberi adveheretur; cum effuſa gregatim ſubinde ad ripas eriperetur e lethi prope faucibus pallida fame multitudo! O ſingularem atque incredibilem benevolentiſſimi Parentis pietatem ac providentiam, qua factum etiam fuerit, ne qua, ut in rebus arctis, oriretur ſeditio: quod ne Romani quidem Conſules in tam opulenta Rep. vitare potuiſſent! Nam illam apud Centum Cellas Cuſtodiam quid aliud, niſi caritas excogitavit, ut religionis cauſſa in ſontibus etiam puniendis parceretur eorum pudori, qui ſuo ipſi non peperciſſent? Equidem cum hæc mecum reputo, ac Petri imago procelloſo mari interdum ſubit, videor mihi prope aſſequi ignota illa profanis
I. ad apud Paulum caritatis prodigia, quæ *omnia ſuffert*,
Cor. 13. *omnia credit*, *omnia ſperat*, *omnia ſuſtinet*. Quare

jactent,

jactent, per me licet, reliquæ Italiæ urbes Pontifices ſuos, quorum alii Romana monumenta in lucem eduxerint, atque a vetuſtatis injuria vindicarint; alii magnificis ædificiis, ſigniſque ac tabulis elegantiſſimis Urbem ornaverint; alii bonas artes ac litteras foverint ſuis auſpiciis ac præmiis; alii denique ſcriptis eruditiſſimis ſui nominis immortalitati conſuluerint. Vos vero P. C. nomen ac famam Sanctiſſimi Veſtri Civis CLEMENTIS XIII. qui Summi Sacerdotii maximas quaſque virtutes complexus mirifice fuerit, non modo hujus diei luctu, verum etiam Annalium veſtrorum memoria conſecrabitis. Atque ab his Funeris officiis, quæ totius Civitatis concurſu ac plane regia magnificentia rite pieque perſolvitis, ea in poſterum, quæ idem contulit in Remp. veſtris animis occurrent. Occurret Roſa Aurea, florentiſſimi veſtri omen Imperii, quod ſummæ donum Religionis, regiæque dignitatis inter Sacra Myſteria his ipſis Aris impoſitum recordamini. Occurret Romana Rota, nominandique Auditoris æquata ultro jura cum maximis Regibus, perhonorificis amantiſſimiſque ad Senatum litteris conſignata. Leniet interim amiſſi deſiderium humanitate, prudentia, integritate ſingulari hic, quem præſentem intuemini, LUDOVICUS Eques ac Procurator, cui veſtra hæc pietas magnum affert doloris atque ægritudinis ſolatium: lenient reliqui REZONICI Fratres, Romæ ac Veneti nominis

ſplen-

ſplendidiſſima lumina: qui disjuncti regionum intervallo conjunctis tamen animis, aucta toties ampliſſimis Reip. præmiis Familia, pro ſua erga Senatum fide atque obſervantia, Sanctiſſimi Patrui in vos officia præclare factis, omnique officiorum genere cumulabunt.

